

## CONCIO III.

Secundo, Virginem Deiparam sibi a Christo commendatam impensisime coluit, quia accepit eam in sua: haeretici nostri a Beata Virgine Maria alienissimi sunt, imo ejus hostes.

Tertio, crucis signo se muniens descendit in monumentum, Niceph. I. II. c. XXIV.

Quarto, in sua epistola totus est catholicus. Primo, vult omnino mandata Dei observari, I. Joan. II. Qui dicit se nosse Deum, inquit, et mandata ejus non custodit, mendax est, quod impossibile dicunt Lutherani. Secundo, urget et requirit vitam sanctam et bona opera, ibidem: Qui sic sit, se in ipso manere, inquit, debet sicut de ambulavit (Christus) et ipse ambulare. Tertio, requirit confessionem, I. Joan. I. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est et justus, ut remittat nobis peccata nostra. Quarto, justitiam imputativam rejicit; ait enim, I. Joan. III. Filioli, nemo vos seducat, qui facit justitiam, justus est; qui facit peccatum, ex diabolo est.

V. S. Philippus altaria statuit et extruxit ad sacra mysteria rite celebranda in Scythia et Phrygia. Ordinavit etiam episcopos, presbyteros, diaconos et clericos, Metaphr. in vita et alii.

VI. S. Bartholomaeus, primo, centies per diem et centies per noctem flexis genibus orare consuevit Deum. Lutherani et Calvinistæ in centum annis ne semel quidem Deo flectunt genua. Expansis etiam manibus orasse scribitur, quem orandi ritum isti irrident. Secundo, crucem, ad quam alligandus excoriari debebat, adoravit et salutavit, simili fere modo, quod id fecit S. Andreas: nimur: « Salve crux, per quam humum genus gaudio affectum est; salve ejus crucis imitatio, per quam mors mortem dissolvit et mortales ipsos immortalitate donavit; salve crux quam cum Christus ascendit, terrenos homines celestes effect; salve crux, quia mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad celos perduci possim, que denique mei præceptoris imitatore me fecisti, etc. » Ut in ejus vita, apud Surium.

VII. S. Matthæus, primo, persuasit Iphigeniæ Eglyppi Æthiopum regis filiæ vovere virginitatem cum ducentis aliis, et ideo occidi jussus ab Hyrcano regis successore, qui Iphigeniam petebat in matrimonio. Quam ob rem *victima virginitatis* appellatur ab Hippolyto episcopo et martyre, in l. de duodecim apost. haeretici nostri virgines Deo sacras a voto absolverunt et nuptui tradunt. Secundo, carnis abstinuit, oleribus tantum, haccis et seminibus victitans, ut scribit Clemens Alexand. I. II. paedag. c. I. Quæ sane delicato nosorum haereticorum stomacho minime sapiunt: Ecce enim, insanum esse talibus vicitare, cum

possit melioribus. Tertio, ad altare mysterium celebrans occisus est, postquam sacras virgines consecrasset, Metaphr. et alii.

VIII. S. Thomas, orans genibus flexis ante imaginem crucifixi hasta transfixus est, ut scribit Hieron. Osor. I. II. de rebus Indicis. Non ergo Lutheranus aut Calvinista fuit. Pingunt quidem et sculpunt se hoc schemate Lutherani in suis epitaphiis. Attamen dur vivunt, nunquam consipiunt orare flexis genibus ante Crucifixum. Præterea multas extruxit ecclesias, Niceph. I. II. c. XL. Septem etiam dierum jejuniū indixit et communionem dedit sub una tantum panis specie, ut refert ex auctoribus Guil. Eisengre, in cœn. primo, p. V. dist. VII.

IX. S. Jacobus Alphæi, seu minor, frater Domini dictus primo, carne semper abstinent (Euseb. I. II. hist. c. XXII.) imo ab animatis omnibus ab ineunte ætate. Secundo, tam assiduus inflentis ad Deum genibus fuit, ut callum genibus obduxerit, quod duritie camelī pellel aequaliter, ut in brev. et vita ejus habetur. Haeretici nostri elephantes sunt, qui genua flectere nesciunt. Tertio, primus missam solemnē ritu celebravit, unde et liturgiam scripsit, seu ejus celebrandi ritum et formam, ut indicat sexta Synodus de consecratione, d. I. c. Quarto, Jacobus, in epistola sua catholicum se ostendit; præcipit enim extrema unctionem, Jac. V. Urget vehementer bona opera, sine quibus fidem inutilem et mortuam asserit, Jac. II. Rursum, in Concilio Jerosolymitano voluit abstineri a suffocato et sanguine, adeoque delectum ciborum probavit. Act. XV.

X. S. Simon una cum Juda Perside implenis tempis scribitur.

XI. Judas Thaddæus acerrime insectatur haereticos, præsertim eos, qui docent, solam fidem sufficiente sine operibus; et eos, qui nullum agnoscunt peccatum nisi infidelitatis; tales vero haereticci nostri.

XII. S. Matthias, de quo parum certi habemus, præter ejus vocationem, legitimam, qua vel sola confundit nostros haereticos, qui suam asserere non possunt. In reliquis haud dubie fuit sectator suorum coapostolorum et electorum. Accedit ejus axioma: « Adversus carnem pugnandum et in nullo prorsus voluntati ejus, ac libidini concedendum, » Euseb. lib. III. hist. c. XXIX. At hoc profecto Lutheranum non est.

XIII. S. Paulus, atque hunc magnis extollunt vobis haeretici, tamquam puto se stantem, quia scilicet in ejus epistolis, ut dixit Petrus, II. Petri III: Quædam sunt difficia intellectu, quæ indoct. et instabiles (ut haereticci nostri) depravant, sicut et cæteras Scripturas a suam ipsorum perditionem:

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

velut cum ait, I. Cor. IX. Annon habemus potestatem circumducendi mulierculam sororem? Supponunt illi: Mulierculam uxorem: verum ludunt operam; in omnibus enim epistolis suis catholicam fidem confirmat, haereses vero confutat.

Primo enim, cœlibem se ostendit, I. Cor. VII. cum ait: Dico autem non nuptis et viduis, bonum est illis, si sic permanent sicut et ego. Eodem loco suadet extollit cœlibatum ac virginitatem. Deinde, gloriatur in cruce, ad Gal. VI. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri, etc. Commendat jejunia et vigilias, II. Cor. VI. In omnibus exhibamus nosmetipsos sicut Dei ministros in vigilis, in jejuniis, etc. Rursum, mortificat seipsum, timens fieri reprobus, I. Cor. IX. Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim ipsi reprobus efficiar. Merita bonorum operum commendat et mercedem, I. Cor. III. Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem. Damnat eos, qui fidem Deo datam, id est, vota frangunt, I. Tim. V. Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Adstruit liberum arbitrium, I. Cor. XV. Abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum: et, I. Cor. III. Dei adjutores sumus. Deum peccati auctorem facere abhorret, Rom. IX. Numquid iniquitas est apud Deum? Absit. Jubet cum timore et tremore salutem nostram operari, Phil. II.

Secundo, Romanæ fidei fuit; ait enim ad Rom. I. Fidem vestram et meam. Tertio, confessiones audivit, Act. XIX. Quarto, positis genibus oravit, Act. XX. Theclam ad virginitatis studium sua prædicatione incendit, apud Baron. an. 47.

XIV. Restat igitur solus Judas Iscariotes, quem libenter damus haereticis. Et vero ad ipsos spectat.

Primo, quia fur erat sacrilegus, ex Domini bursa furatus. Hoc autem fecerunt haeretici nostri, quando passim diripuerunt et in profanos ac proprios usus verterunt bona ecclesiastica. Ceterum sperandum est, eos tandem pretium sanguinis male acceptum relatuos in Ecclesiam, sicut et Judas fecit, meliori tamen eventu.

Secundo, quia ægre tulit, unguentum effundi super caput Christi. Idem vero faciunt haeretici, qui decorem Ecclesie inquis oculis aspiciunt, et cum possunt, amoluntur.

Tertio, quia a Christo ejusque collegio apostata factus est, quod item fecerunt haeretici, cum ab Ecclesia defecerunt.

Quarto, quia factio osculo Christum prodidit hostibus. Nihilo securius egerunt nostri haeretici, cum sub specie pacis politice necnon concessio[n]is Augustanæ catholicis dexteræ dederunt, interim vero Calvinismum et alias plurimas sectas

in imperium clanculum invexerunt, nec aliud machinati sunt, quam ut fidem catholicam penitus opprimerent.

Nostra igitur est aqua, nostri sunt apostoli, nostra eorum religio, nostra et doctrina. Ceterum libertissime communicabimus illis aquam nostram, modo ad nos venire et bibere nobiscum volunt, quod largiatur eis Deus.

## CONCIO IV.

## QUÆ DOCUMENTA NOBIS DET CULTER S. BARTHOLOMÆI.

- I. Fidei sinceritas docetur. — II. Fortitudo. — III. Magnitudo præmii cœlestis. — IV. Usus salutaris in variis. — V. Abusus cavendum.

## THEMA.

Omnis turba quærebatur eum tangere. Joan. VI.

Ex I. III. Reg. c. X. scimus thronum Salomonis ita fuisse extrectum ut inter duodecim leones fictiles ad illum ascendendum esset: thronus vero ille non obscure significabat thronum gloriæ Christi Domini, quem occupat in cœlo. Ad hunc thronum, auditores, omnes nos contendimus, et speramus aliquando Christum manu nostrâ tangere. Sed videte quales leonis circumstant ejus sedem: duodecim ejus apostoli, quæ formidando aspectu? Unus tenet gladium, alijs crucem, alijs serram, alijs clavam, alijs secundum, alijs hastam, alijs fustem, alijs cultrum, etc. Omnes illi enim per varia cruciatum et suppliciorum genera ascendere ad thronum illum jussi sunt: et hi sunt eorum baculi et scipiones, quorum nixu ascenderunt. Hæc eorum symbola et virtutum testimonia, terribilia quidem sed salutaria. Accedamus igitur ad illorum aliquem, Bartholomæum, et quæramus ex eo quid sibi vult cultus tuus?

I. Docet fidei et amoris S. Bartholomœi in Christianum sinceritatem, ut qui nec tam crudeli execrationis supplicio ab eo separari potuit, et quem ore confessus est, eumdem sanguine suo testatus. Jansenius, Rupertus et alii quidam putant Bartholomœum esse Nathanaelem illum, de quo dicebat Christus: Ecce vere Israelita, in quo dolis non est, quippe dixit Christo: Rabbi tu es Filius Dei, tu es rex Israel, Joann. I. Quod si verum est, optime profecto quadrat Bartholomœo, quod de eo dixit Christus. Quam enim Bartholomæus ornatus doli expers esset in fide et dilectione Christi, patuit Deo et hominibus in pellis ejus detractione. Solumus enim dicere dolum et nequitiam haereticorum latere intra cutem: Non enim qui in maximo, Judæus est: sed qui in occulto, Judæus est.

apostolus, ad Rom. XII. Multi extra patent Israe-  
læ et Christiani veri, qui tamen sub ovinæ pelle  
intrinsicus sunt lupi rapaces, heretici vel hypo-  
ritæ. Atqui Bartholomæus qualis apparuit foris,  
talis fuit intus : qualis in apostolatu, talis in mar-  
tyrio. Non enim ore tantum et habitu, sed et san-  
gaine et facto testatus est, quali esset fide et amo-  
re in Dominum et magistrum sum, ut merito pos-  
set dicere : *Cultro me examinasti et non est inven-  
ta in me iniquitas. Utinam et de nostrum unoquoque  
dici queat : Ecce vere Israelita, vere Christianus,  
in quo dolut non est. At si vero enivis nos-  
trum pellis detraheretur, timendum ne in hoc  
hereticus, illo politicus, in alio hypocrita, in alio  
falsus frater deprehenderetur. Et certe veniet ali-  
quando tempus, quando detracta nobis pelle om-  
nes manifestabimur ante Dei tribunal, et tunc  
manifesta erunt abscondita cordis nostri. Quan-  
tam ibi confundentur, qui se hic Christianos et  
sinceros ostendebat, intus tamen nequam erant ?  
Quam enim confusus est Aman, cum ei pranden-  
ti cum rege larvam detraxit Esther et impostu-  
ram ejus detexit, dicens : *Hostis et inimicus nos-  
ter pessimus iste est Aman ? Hoc enim ille audiens:  
Illæ obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non  
mox, Esth. VII.**

II. Fortitudinem christianam, ut quidvis para-  
simus potius agere vel pati, quam fidem aut  
charitatem deserere, ita ut si moriendum sit, et  
tyrannus cultrum jam expediat ad detrahendam  
nobis pelle, potius mori velimus, quam fidem  
abnegare aut in hæresin consentire, vel unicum  
etiam peccatum lethale perpetrare. Sic enim fecit  
Bartholomæus, qui cutem sibi abstrahi prius pas-  
sus est, quam a Christi fide et amore separa-  
retur; non aliter ac polypus petra, quam appre-  
hendit brachii suis, ita firmiter adhaeret, ut par-  
tes potius carnis sibi avelli a corpore sinat, quam  
ut avellatur ipse, Pier. I. XXVII. hierogl. Sic nos,  
editores, adhærere decet Christo, qui est petra  
nostra, gemino illo brachio, fide et charitate; ut  
dicere cum apostolo possimus : *Quis nos separabit a charitate (et fide) Christi ? Tribulatio ? An angus-  
tia ? An famæ ? An nuditas ? An periculum ? An persecutio ? An gladius ? ad Rom. VIII. Ita adhæ-  
sit Christo Sanctus Basilius, qui cum a Valente  
imp. Ariano juberetur in crastinum deliberare,  
an assentiri imperatoris perfidiae velit, aut mori,  
respondit : Ego crus idem ero qui nunc sum ; tu te  
animam non mutares ! hist. eccl. I. XI. c. IX. ita  
Sancta Agatha, cum a Quintiniano præside Sici-  
lia tradita esset Aphrodisiæ depravanda et a vir-  
ginitatis proposito flectenda, respondet ei : « Sur-  
de canis, ego enim ita fundata et firmata sum in  
amore Domini mei Jesu, tamquam constans in*

voto virginitatis meæ, quod ipsi nuncupavi, ut  
per ipsius gratiam confidam, quod prius soli de-  
ficit sua lux, igni calor, nivi albedo, quam ego  
mutem meum propositum et voluntatem, etc. »  
Quorcirca respondit Aphrodisia tyranno : « Facilius  
est lapides molles et teneros facere, aut ferrum  
in plumbum vertere, quam mentem Agathæ a  
Christi amore et castitate ad te traducere, » ut  
in ejus vita. Ita universim peccatum omne su-  
giendum, ut quidvis malitius pati, etiam cul-  
trum Bartholomæi, quidvis potius deponere, etiam  
pellere, quam peccato inquinari. Ferdinandi II,  
regis Aragonum paremia erat : *Malo mori quam  
fedari, teste Ænea Sylvio, desumpta ab arminio  
animalculo, quod se capi potius sinit, quam ut  
per lutu inquinamentum effugium sibi querat.  
Ita benevolus ille apud Valentianum impera-  
torem impium decretum dictare contra patrum  
fidem abnuit, et cum celsior honor ei promitteret  
ur : Quid mihi, inquit, pro impietatis mercede al-  
tiorem promittis gradum ? Hunc ipsum, quem habeo  
tollite, tantum mihi conscientia fidei duret illæsa,*  
Ruffin. I. IV. de fide cathol. Theod. Hunc in mo-  
dum honores, opes, pelle ipsam perdere potius  
deberemus, quam vel uni peccato consentire. Sed  
quam nos ab hac constantia absumus, quam le-  
vi vento dejicimus a proposito virtutis.

III. Magnitudinem præmii celestis et quid non  
pro ea faciunt ac patiendum sit, quando Bartho-  
lomæus cultro se incidi et pelle sibi abstrahi  
passus est. Et vero admirandum est, quod gen-  
tiles aliqui fecerint in deorum suorum vel potius  
dæmonum gratiam : sive ut eos placarent, sive  
ut honorarent. III. Reg. XVIII. legimus sacerdo-  
tes Baal, ut impetrarent a Deo suo ignem de calo  
super sacrificium suum, inter orandum se incidisse  
cultris et lanceolis, donec perfunderentur sanguine.  
Lactantius etiam etiam, lib. I. de falsa reli-  
gione, c. XXI. gentilium sacerdotes olim Bellonæ  
suo cruento dissecctis humeris sacrificasse. His-  
toriæ Mexicanæ referunt, ejus regionis sacrificulos  
in honorem dæmonis, quem pro Deo colunt, sei-  
spos cruentare, lapidum ictibus et acutis stylis  
pedes manusque sibi perforare. Denique, inter  
Turcas reperiuntur, qui cultro armati velut fan-  
taci circumcursant, et ob spem modici lucri in  
honorem regis sui, grandia sibi vulnera in cor-  
pore incident, et hujusmodi cruentatione turpem  
pariter et miserum quæstum faciunt, ut vidisse  
dux se scribit Radzivales, in peregrinatione Jer-  
osolymitana. Si haec talia faciunt et patiuntur isti,  
sive in gratiam dæmonis, sive inani gloria vel  
mercede ducti : cogitate Christiani, quod non pa-  
tri nos conveniat æquo ac labente animo pro œ-  
lesti gloria ? Certe cruentus Bartholomæi culter

manifeste nobis indicat, vim pati regnum cœlorum,  
et pugnandum esse pro eo, multaque adversa to-  
leranda. Sed cogitare ex altera parte debemus,  
pro quanta repugnemus, et si cum hoc apostolo  
pellem dare oporteret, non difficulter obsequen-  
dum. Itaque exuenda est vetusta pellis malæ  
consuetudinis : et si assuetus jurare vel blasphemare,  
detrahe pelle linguæ : si assuetus ine-  
briari, detrahe pelle gutturi : si rapere et frau-  
dere, detrahe pelle manibus, etc. vis tibi infi-  
renda est, quia regnum cœlorum vim patitur.

IV. Usum hujus cultri nobis salutarem. Solet  
vero unusquisque gestare secum cultrum, utpote  
passim utilem et necessarium. Ego vobis, audi-  
tores, Bartholomæi cultrum offero. Sed quem in  
finem ? Docuit nos Sap. Prov. XXIII. quando se-  
demus ad mensam principis, considerare quæ  
apposita sunt et statuere cultrum in gutture. Se-  
demus ad mensam principis, quoties cibum su-  
mimus, quia mensæ nostræ non solum Deus ci-  
bos suppetit, sed revera etiam adest : *Statue igitur  
cultrum in gutture tuo, ut ne intemperanter sumas  
dona Dei, præscinde gula tua superfluitatem,  
ingluviem et crapulam, certus alioquin immine-  
re tibi grave salutis tuae discrimen : tua enim in-  
temperantia te ipsum jugulabis, sæpe quoad cor-  
pus, semper quoad animam.*

Sedemus ad mensam principis nostri Dei, quam-  
diu in mundo degimus. Quædam enim mensa  
omnis generis dapibus et cupediis referit totus  
iste mundus est : *Statue igitur cultrum in gutture  
tuo, tum ne abutaris creaturis ad usum tibi con-  
cessis, tum ne lingua tua frenalaxes. Nihil enim  
proclivius, quam delinquare sermone. Cum quid  
igitur falsum, cum quid obscenum, cum quid  
odiosum, cum quid stultum vel otiosum in men-  
tem tibi venit et per linguæ ostium egredi cona-  
tur, statue cultrum in gutture tuo, præscinde vo-  
cem.*

Sedemus ad mensam hujus principis, cum sa-  
cra eloquia audimus. Quid enim est sacra con-  
cio nisi mensa Dei, in qua pascit animas nostras ?  
Itaque tunc attende diligenter, quæ posita sunt  
ante te et statue cultrum in gutture tuo, hoc est,  
cum discretione arripe et concide minutum seu  
perpende accurate, an te, quæ dicuntur, tangent,  
et quomodo ea tibi applies ac salutaria officias.  
Concionatoris est apponere escas, auditoris est  
easdem cultro discretionis scindere et salubriter  
deglutire.

Denique, sedemus ad mensam principis seu  
potentis, ut exponit S. August. tract. XXVII. et  
XLVIII. in Joan. quando communicamus : *Nam  
quæ est mensa potentis, inquit, nisi unde sumitur  
corpus et sanguis ejus, qui animam suam posuit pro*

*nobis ? Tunc ergo sedulo attende (Hebr. con-  
siderando considerabis) quæ apposita sunt : quis sci-  
licet invitans, qui cibus, quæ præparatio adhiben-  
da, etc. et statue cultrum in gutture tuo, hoc est,  
judicium divinum, quod incurres, si non in cor-  
pore, saltem in anima, si indigne manducaveris,  
juxta apost. doctrinam, I. Cor. XI. Periculoso-  
sum est accumbere mensæ regis, qui potest corpus  
perdere, et postea non habet quod adjiciat : quan-  
to periculosus offendere Regem regum, qui po-  
test animam et corpus perdere in gehennam ? Et  
si coram rege accumbentes abstineamus ab in-  
gluvie et crapula, et loquendi libertate, a mentis  
evagitatione, ab omni denique immunditia : non  
abstineamus coram Deo ?*

V. Abusum ejus cavendum, ut ne videlicet hoc  
cultro seviamus in pelle alienam. Hoc enim non  
fecit Bartholomæus, sed passus est a tyranno.  
Hoc etiam exprobat iniquis principibus Deus per  
Michæam, c. III. *Comeclerunt carnem populi mei,  
inquit, et pelle eorum desuper excoriaverunt, et  
ossa eorum confregerunt et conciderunt sicuti in le-  
bete quasi carnem in medio ollæ. Hoc autem fa-  
ciunt, quicumque opprimunt pauperes laboribus,  
exactionibus, usuris, et qui facultates eorum (pe-  
cunia enim est hominis anima, sanguis et vita,  
aut ethicus) in suum luxum, pompam, libidinem  
convertunt vel expendunt. Quid enim est hoc aliud,  
nisi excoriare et devorare illos ? Ut enim arbor  
decorticata cito exarescere debet : ita homo suis  
facultatibus spoliatus nimiove onere pressus pe-  
rire. Sed bene dixit, Ludov. XII. rex Franciæ,  
plebem et rusticos esse pascua tyrannorum et  
militum : tyrannos autem et milites esse pascua  
diabolorum, ut habent annales Franc. Clamor  
enim istorum ascendit usque ad Deum, ut clamor  
Hebræorum a Pharaone oppressorum, Exod. II. sed  
quia oppressores audire eos et videre eorum ca-  
lamitates nolunt, fiet suo tempore, ut nec ipsi au-  
diantur. Unde subdit ibi mox Michæas : *Tunc clama-  
bunt ad Dominum et non exaudiet eos et abscon-  
det faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nega-  
ter egerunt in adiunctionibus suis. Et nonne sicut  
ipsi excoriarunt alios, ita excoriabuntur ? Byzan-  
tii Judæus Christianos certam auri summam mu-  
tuam dederat, ut constituta die præter sortem  
usurpare loco, duas carnis ejusdem Christiani uncias  
reciperet. Die illa sortem reddit Christianus, for-  
nus negat. Aditur Solymannus, ut rem decidat.  
Ille Judæum animo detestatus, novaculam adser-  
ri jubet et Judæo potestatem facit ut, qua velit  
membris parte, debitori duas carnis uncias excin-  
dat : ea lege, ut omnino duas tantum : sin minus  
plusve exciderit, capite luiturum. Non ausus  
hanc Judæus aleam subire, Christianum absolvit.**

Refert Corozetus, de dictis et factis memorabilibus. Inveniuntur certe huic Judæo non absimiles Christiani aliquot, qui per usuras inusitatæ et iniquissimas exscindunt aliis carnes, dum emungunt eorum cruentum et sudorem. Et vero scindant et excindant; viderint tamen interim, ne justitiam offendant. Observat enim illos Deus et siquidem in pauperem iniquiores fuerint, capite suo luent et supplicio æterno. Quis tam periculosam aleam audeat subire, ut pro iniquo et modo lucro caput suum perdat?

## CONCIO V.

EFFECTUS SACRAMENTI EUCHARISTIÆ, SEU COMMUNIONIS.

- I. Illuminat mentem. — II. Corrigit vitia. — III. Delet peccata venialia. — IV. Conservat et auget gratiam. — V. Ad celum dicit. — VI. Contra hostes tueretur. — VII. Beneficia extraordinaria confert.

## THEMA.

*Virtus de illo exibat et sanabat omnes. Lucas VI.*

Quæso auditores: Annon merito confundimur, cum hodiernum audimus evangelium? Videmus enim in illo, quam longe superemur a turba Juðæorum: siquidem omnis turba quærebatur Christum tangere, ut ab ipso sanaretur. Nos autem cum Christum in eucharistia habeamus et tangere possimus modo nobiliori, quotiescumque volamus: num ita contendimus eum tangere, sicut turba Juðæorum? At forte illa turba quæsivit solum sanitatem corporalem? Non arbitror: quomodo enim turba quæreret eum tangere? Num omnis turba infirma erat corporaliter? Quærebat ergo et alia bona ad sanitatem mentis pertinen-  
tia. Deinde, nonne anima plus est quam corpus, et animæ sanitas quam corporis? Denique, non est abbreviata manus Domini. Licet enim eucharistiam principaliter instituerit in remedium animæ: sæpe tamen in ea confert etiam beneficia corporalia. Quid igitur causæ est, cur tam ignavi simus ad quærendum Christi tactum in s. communione? Num sorte, quia non vident aliqui, quales ab eo virtutes exent in illa? Conabimur ergo eas proponere ante oculos.

I. Illuminat mentem; cuius figura fuit mel, quod gustavit Jonathas, ut illuminati sunt oculi ejus, I. Reg. XIV. Neque enim fieri potest, ut qui tantum hospitem frequenter suscipit in domum suam, non ab eo multis in rebus illustretur et informetur cum Magdalena sedente ad pedes Domini et audiente verbum illius. Illumina-

tur ergo, ut magis apprehendat et firmius credat fidei mysteria ac dogmata, quorum difficillimum, eucharistiam scilicet, gustavit: illuminatur, ut magis intelligat, quam potens, sapiens, bonus et suavis sit Dominus in hoc imprimis sacramento, juxta id Psal. XXIII. *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus;* sic discipuli cognoverunt Dominum in fractione panis, Luc. XXIV. illuminatur, ut melius intelligat, discernat et ponderet peccata sua. Unde sicut sanus oculus videt in aere atomos, non item caliginosus, ita pii huic sacramento assueti, melius vident defectus suos et de iis perpetuo conquerentur, cum cæteri nihil horum in se curent aut videant: sic vir nobilis parvas horret maculas, rusticus nequaquam. Denique, illuminatur, cum per aliquid vitium, aut dæmonis astutiam obscuratus est intellectus et phantastica nube obductus, ad amandum ea, quæ non decet. Quo in casu suaserim, quod episcopo Laodiceno Christus, Apoc. III. per Joannem suasit: *Collyrio inunge oculos tuos ut videoas.* Huic enim collyrio comparat eucharistiam S. Bern. serm. LIII. de duodecim fructibus ligni vita; qui enim tot cæcis suo tactu cæcitatem abstersit, non dubium quin idem facturus sit in eucharistia, cum sedulo et rite suscipitur.

II. Corrigit naturæ pravitatem et habitus atque inclinationes vitiosas mutatque in virum alterum. Cujus rei typum legimus, Jos. VI. ubi Israelitæ jubentur a Deo, septies cum arca et buccinis circumire civitatem Jericho: quo facto muri civitatis ultra corruerunt, captaque est ab eis civitas; in hunc modum beneficio eucharistie junctæ cum sacerdotali absolutione, pravi habitus et male inclinationes dejiciuntur, et mutatur homo in virum alterum, qui prius Deo clausus et rebellis erat, postea fit apertus et subjectus, adeoque deiformis. Unde S. Dionys. Areop. de cœles. hierach. inquit: « Quemadmodum ignis sensibilis ea quibus insederit in suum traducit officium, omnibusque quomodolibet sibi propinquantibus sui consortium tradit; haud aliter Dominus noster et Deus, qui ignis consumens est, nos per cibum hunc sacratissimum in sui traducit officium, deiformesque reddit. » « Rursum, uti potentissimum aliquod medicamentum intus assumptum a natura vinci nequit, sed eam victam et dominatam sibi assimilat, sua ei proprietates impertiens: ita corpus Domini non potest a natura nostra superari, sed mutat nos in se et transfundit in nos spiritum Christi, unitique cum ipso. Socratem refert Cicero III. Tuscul. quest. Zopyro physiogno-  
mo judicanti ipsum ex inspectione manus intemperantem, vinolentum, stupidum, mulerosum, etc. respondisse: *Non multum aberrasti: Talis enim*

## IN FESTO S. BARTHOLOMÆI.

*eram naturæ vitio, sed correxi me philosophiæ beneficio.* Ita quam plurimi beneficio frequentatæ communionis mutatos se sensere et naturam correxere, ac corrugant etiamnum deponentes pravos habitus et inclinationes suas. Ita civis Ferrarensis, qui ex consilio viri religiosi contra graves carnis tentationes uxorem duxerat, postmodum mortua uxore frequentare cœpit confessionem et communionem, indeque tantum virum sibi contra eas furias accrevisse sensit, ut seipsum admirans et dolens superioris ætatis infelicitatem, diceret: « Heu me miserum! Et cur non olim adolescens incidi in hominem, qui non diceret: Uxorem duc, sed utere frequenter sacramentis, » Guili. Baldesan. in stimulis virtutum. Cæterum non primo statim agressu dejiciuntur hi muri; sèpius circumeundum est; et licet imprimis aliquamdiu nihil sentias inclinari hos muros, perge tantum, et videbis tandem te victorem tuarum passionum. Neque refert si nihil aut parum sentiamus initio nos proficere: nam nec crescere nos sentimus, et tamen crescimus: similiter ciconias non videmus advenire sed advenisse. Multum proficit, qui peccata et vitia sua agnoscit, horret, fugit, in seipso exosa habet et impugnat.

III. Delet peccata venialia et munit adversus peccata futura. Cujus figura erat arca prædicta, quando stare fecit aquas Jordanis, Jos. III. Et si quidem illata in Jordanem, aquæ inferiores descendenter in mare mortuum, superiores autem steterunt ne defluerent; ita et hoc sacramentum delet veniale, et cavit mortale, ut ait Innocent. III. apud S. Thom. III. p. q. LXXIX. a. VI. Delet venialia quia cum sit nutrimentum animæ, reparat fervorem charitatis, qui deperdit seu minuitur per venialia: unde velut panis quotidianus: *Sumitur in remedium quotidiane infirmitatis,* ut ait S. Ambr. in I. de sacram. Delet etiam interdum mortalia, quæ scilicet post diligentem conscientię discussionem remanserunt inscio et putant bona fide se nulli mortali obnoxium esse; et cum quis scit se obnoxium alicui mortali, in defectu tamen confessarii putat bona fide se contritum, cum tamen sit solum attritus, ut docet S. Thom. III. p. q. LXXX. a. IV. Sic enim cum Philistæi bonæ intentione posuissent arcam in templo suo juxta Dagon, quasi per hoc magnum honorem arcæ delaturi, non evanuit arca, nec destructum est altare, sed Dagon corruuit, I. Reg. V. Corruet ergo et peccatum tuum mortiferum, si bona fide et inculpabili laborans ignorantia constitueris sacramentum hoc in templo cordis tui, tametsi adhuc profano.

Cavet etiam futura qualiacumque peccata juxta

modum et dispositionem recipientis, quia conferit ei varia præsidia ad tentationes superandas, motus concupiscentiae reprimendos. Unde S. Bern. serm. de cena Domini ait: « Duo in nobis sacramentum illud operatur ut videlicet sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensem. Si quis vestrum non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiae motus, invidiæ, luxuriæ aut cætorum hujusmodi, gratias agat corpori et sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo: » et Cyril. lib. IV. in Joan. c. XVII. « Sedat, cum in nobis maneat Christus, sævientem membrorum nostrorum legem; pietatem corroborat; perturbationes animi extinguit. »

IV. Conservat et auget gratiam, (quæ est vita spiritualis animæ) sicut panis corporalis vitam, uti habet Concil. Florent. restaurando subinde vires animæ depertitas. Nam uti lux lampadis semper consumit oleum quod effunditur: ita calor naturalis corporum nostrorum consumit substantiam: unde novus semper cibus ingeri illis debet. Idem etiam cernitur in anima. Concupiscentia siquidem ardore suo depascit, quidquid in homine boni est, a studio pietatis retrahit, et ad sensualia effundit. Providit igitur Deus animæ nutrimentum, sacramentum corporis sui, de quo ait: *Caro mea vere est cibus: et: Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.* Hujus igitur usu conservat homo vitam suam spiritualem, et crescit in perfectione ejus: recepit etiam novam fortitudinem, et robur ad ambulandum in via virtutis, unde quoad hoc typus illius fuit panis Eliæ subcinericus, ab angelo illi suggestus, in cuius fortitudine resumpsit delassatas vires, et ambulavit quadraginta diebus, et noctibus usque ad montem Dei Horeb, III. Reg. XIX. Item lignum vite in paradiso, de quo si homines subinde comedissent, nunquam mortui fuissent. Rex Ponti Mithridates inventor theriacæ, fertur ejus esui adeo assuetus, ut venenum illi innoxium fieret; cum enim postea in Romanorum potestate venisset, et veneno vitam sibi eripere vellet, non potuit, Plin. lib. XXV. c. II. et alii. Ejusmodi antidotum contra venenum peccatorum instituit, et confecit Christus, eucharistiam, ut si quis ejus usui cum debita devotione assueverit, ita confirmetur in vigore animæ, ut vix quacumque infici cupiditate aut tentatione vinci queat. Interroga homines spirituales hujus sacramenti studiosos, utrum pro toto mundo Deum lethaliter offendere vellent, respondebunt enim se nec velle nec posse. Quod si etiam tenerim fructus cerasa et fraga et hujusmodi, sacercharo in melle tincta, conservari usque ad annum

possunt, quid mirum si etiam corda nostra virtute eucharistiae multo tempore a peccati putredine conservari queant? O quantum confundentur et ingemiscantur damnati Christiani, qui cum sibi ipsis temere vitam gratiae eripuerint, hoc remedio conservare vel reparare noluerunt? Nonne enim in medio paradisi, id est, ubicumque locorum adire et gustari poterat hoc vitae lignum?

V. Dat nobis virtutem pervenienti ad gloriam, et ideo viaticum dicitur, ut ait S. Thom. III. p. q. LXXIX. a. II. Colligitur ex verbo Domini Joan. VI. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivot in eternum.* Unde morientibus datur, quasi necessarium viaticum et pignus ad gloriam parandam. Cujus figura fuit agnus paschalalis, quem Deus ante exitum de Aegypto comedì jussit in habitu peregrinorum, Exod. XII. Ita etiam jubet nunc Deus ante exitum ex hac vita sumi prius eucharistiam. Chrysost. hom. XXIV. in I. ad Corinth. ait: *Propter hoc corpus cælum et bona, quæ in eo sunt, accepturum me spero.* Idem, lib. VI. de sacerdotio assent, sibi narratum ab eo, qui vidisset animas eorum, qui cum pura conscientia mysteriorum hujusmodi ante obitum fuerint particeps, recta ad cælum deduci a ss. angelis. S. Gregor. hom. XL. in evang. scribit, quamdam piam virginem, sed pauperem nomine Romulam, postquam hoc viaticum accepisset, a duobus choris cœlitum psallentium, quos audiebant tantum circumstantes, ad cælos deductam, deficiente paulatim psalmodia in auribus audientium. Idcirco viri sancti tam solliciti fuere morte instanti pro hoc viatico, nec non et Deus pro illis. Ut pro S. Ambrosio, quo in agone posito, Honoratus Vercellensis episcopus tertio vocem audivit dicentem: *Surge et festina, quia modo est accessurus.* Surrexit ergo et Ambrosio corpus Domini obtulit: quo facto statim ad Christum migravit Ambros. Paulinus, in ejus vita. Hæc videtur vestis nuptialis, in qua velut Jacob in ueste Esau primogeniti fragrantissima placere Deo Patri debemus. Viderint igitur, quid agant, qui hoc viaticum negligunt, aut morituris intercludunt.

VI. Fortissimum assert præsidium contra malignos spiritus eorumque machinationes. Cujus figura fuit panis ille subcinerius, quem per somnum vidit quidam volvi in castra Madian, et subvertere illa ac terræ coæquare, Jud. VII. Hoc enim facit castris dæmonum panis eucharisticus: unde Chrysost. homil. XLV. in Joan. ait: *Ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus, terribiles effecti diabolo.* Exemplum unum memorabile refert comes Mirandulanus, in l. de strigibus his verbis. «Fuit in Alpibus Rhetiis sacer-

dos quidam probus ante annos duodecim; cùm foret opus, ad ægrotum quedam gravi oppressum morbo eucharistiam deferre, cum longius ille abesset, videretque se non ita, ut oportaret, celeriter ad eum pedibus posse pervenire, ascendit equum colloque sanctissimum Christi corpus pyxidi inclusum satis honorifice alligavit, iter suum quantocius accelerans. Cum nonnulli processisset, obvium habuit quedam: qui ut equo descendens secum pergeret ad spectaculum quoddam mirabilissimum invitavit. Imprudens homo et cupiditate rei tam stupenda ductus paruit: vix equo se dimiserat, cum sensit se per aera cum comite deferri et brevi tempore in altissimo montis cacumine statui; ibi amplissima, et amoenissima planities erat arboribus undique excelsissimis obsepta, rupibus horrendis circumdata. In medio chorus innumerous ad varios ludos cuiusvis generis: mensas lautis ac diversis ferculis instructas erat videre, audiebantur etiam concentus quilibet omni suavitate affluentes. Denique, aderant, quæ animos hominum jucundissimis delinimentis tenere possent, et dulcedine perfusos intima demulcere solent. Obstupfactus improvisa re simplex bonusque sacerdos, neque eloqui pra admiratione aut hiscere audens, pene extra se positus, attonitusque hærebatur. Tum socius, qui eum adduxerat, petit ab eo, vellente reginam, quæ ibi aderat, venerari, et munus illi aliquid offerre. In alto quodam solio regina adsidebat, effigie formosissima, regio cultu, et ornamenti mirificis ornata. Accedebant ad eam prosternentes se humili cuncti, qui aderant bini, quaterni, ordine pulcherrimo, et humili se prosternentes eam colebant, varia munera offerentes. Ad mentionem reginæ homo, cum videret eam sic fulgentem, et ministris plurimis cinctam, putavit esse Matrem Christi, cœlique et terræ reginam. Neque enim suspicerebatur ullas præstigias, dæmonumque spectra, alioquin eo non appropinquasset. Reputans igitur secum, quid illi donodaret, aestimavit nihil eis gratius aut jucundius futurum in munus, quam Filii corpus; accessit et ad pedes accidens in modum supplicis, arculam in qua erat augustissimum sacramentum, e collo detractam, in gremio mulieris illius posuit. Mirares, omnia continuo evantere. Perculsum hujusmodi novitate homo rudis, et præstigiis irretitus se videns et in honoribus densissimis et lustris destitutum conspiciens, opem divinam tremens implorare, ut tantis ipsum anfractibus expediret, cumque diu per loca invia silvasque vastissimas errasset, vix tandem pastorem reperit, a quo ductus didicit, se millaria centum a loco abesse, quo eucharistiam deferre cupiebat. Ad suas tan-

dem sedes reversus, rem totam detulit ad magistratus; contigit hoc imperante Maximiliano. » Hæc comes Mirandulanus. Palladius, in hist. Laus. c. XVI. tradit uxorem cujusdam Aegypti maleficis carminibus sic affectam fuisse, ut aspicientibus equa videretur, cum tamen sermonis humani usum retineret. Adducta mulier a marito ad Sanctum Macarium, qui eam liberavit et dixit, tantum dæmonibus in misellam licuisse, eo quod multo tempore ab eucharistia perceptione abstinuerisset, frequentius proinde ad eam accedet.

Hac de causa Christus iturus cum suis ad passionem, prius eucharistiam instituit et ipse sumpsit, non in remedium suum, sed in exemplum nostrum ac suis distribuit, ut nos idem in omni tentatione et tribulatione facere doceret.

VII. Beneficia confert extraordinaria. Cyrillus Alex. l. IV. in Joan. c. XVII. *Miki crede,* ait, *non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit.* Refert S. Greg. l. III. dial. quedam mutum susceptione hujus sacramenti recepisse loquela. Evagrius, l. IV. c. XIV. narrat, puerum Hebreum post susceptionem sacramenti in fornacem ardenter projectum incolumem extitisse, de quo alibi. Multi multo tempore sola eucharistia sustentati fuere. Sic enim in vitis pp. legitimus sanctos non nullos sine cibo, sola eucharistia sustentatos, vitam sanam et longevam egisse. Pallad. in Lau-siac. c. XV. scribit, Joannem monachum cibum nunquam sumpsisse, nisi die dominico eucharistiam; hanc enim solam ei sacramentum fuisse et victum. Sic Severus abb. dominico die eucharistia et modico pane refectus per reliquum hebdomadæ nihil amplius comedebat. Ludovicus plus imp. in supremo morbo quo obiit, totos quadraginta dies jejunos transegit, eucharistiam solam quotidie sumens, ut qui adfuit ei scriptor testatur, inquit Thomas Bozios, tom. II. l. XXV. de signis eccl. c. II.

Scribit Sigebertus in chronico, anno Domini 823. in ditione Tullensi puellam quedam duodenem, sumpta in paschate eucharistia per triennium omni cibo abstinuisse. S. Maria Oignacensis in Belgio sanctitatis fama celebris infirma cibum omnem respuebat, sola eucharistia vivebat et valescebat: ac subinde facies ejus quosdam ex se radios lucis vibrare et diffundere videbatur, inquit card. Vitriaco, in ejus vita, l. II. c. XII.

Scribit S. Gregorius Nazianzen. orat. XIX. in furore patris, patrem suum ardentissima et diurna febri exhaustum sumpta s. eucharistia convaluisse, ac subjungit idem miraculum matris suæ aliquanto post contigisse. « Nam cum nun-

quam non, inquit, dolore premeretur (mater) et quidem persæpe singulis diebus atque interdum etiam horis, ex sola liturgia robur concepiebat, ac morbus tamquam ex edicto et imperio fugatus se subducebat. » Idem in funere Gorgoniae sororis sue, scribit, illam ad s. eucharistiam orantem a membrorum omnium dissolutione, ac gravissimis, quibus angebatur, doloribus sanitati sibique restitutam. S. Ambrosius in funere Satyri fratris sui, scribit, eum eucharistia ad collum appensa e naufragio in columen enatasse.

Surius, in commentario suo scribit, anno 1567. ult. julii, exemplum memorabile. « Cum patibulo septem adducti jure fuissent apud Hanlinghen Friesiæ, ex iis unus dumtaxat ad fidem catholicam se recipiens peccata sua cuidam Franciscano patri confessus est, petitiq[ue] missam fieri, in eaque sacrosanctam eucharistiam sibi porrigi: quod cum factum esset, atque ille cum aliis suspensus animam exhalasse putaretur, animadvertis p[ro]fec-tus, eum etiamnum animam agere: jussit igitur lictori, ut mortem uno adhuc saltu illi acceleraret: quod cum ille tentaret, funus ruptus est: at ille humili collapsus paulo post tum a Deo, tum a p[ro]fectori ore titubante veniam et petiit et impetravit, traditusque chirurgo curandus, hodieque fortassis adhuc superest: quotquot vero spectaculo illi aderant, miraculi loco istud habuere, quod sacrosanctæ eucharistia virtute a morte servatus esset homo ille. Et multi sane in Friesia hac re permoti quotidie redeunt ad catholicam Ecclesiam. Est etiam de fune facta diligens inspectio coram illustrissimis præsidibus, certoque compertum est, eumdem fuisse, quo ceteri essent strangulati, minusque quam ceteri ponderis habuisse, sicutque ruptum fuisse, ac si ense dissectus esset. » Hæc ille.

Quando igitur tantæ et tot virtutes exunt de Christo in eucharistia, queramus et contendamus sum tangere cum turba hodierna, et quidem frequenter, etc.